



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Arcadius M. 12. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

stem intestinum victoriam spondeo, si simili utaris loricâ. Ex Surio.

Magnus *hujus* *vita* *solatium* *est*, *ut* *habeas*, *cui* *pectus* *tuum* *aperias*, *cum* *quo* *arcana* *participes*, *cui* *committas* *secreta* *cordis* *tui*; *ut* *ames* & *sequaris* *eum*, *qui* *tibi* *paternâ* *pietate* *in* *tristibus* *compatiatur*, *in* *per*-*secutionibus* *adhortetur*, & *in* *prosperis* *gratuletur*. S. Bern. tract. de Ord. Vit.

S. ARCADIUS M. 12.Ianuarii.

More Solis virtus hoc pulchrius nitet, quod diutiū latet. Testem ARCADIVM adduco. Hic s̄avientibus ubique terrarum in Christianos tyrannis, sive homo timore aliquo, sive CHRISTI mandato inductus, posthabitis fidei fortunis omnibus, fugā se subduxit, & aliquandiu latebras habitavit. Sed nimirum ut vinceret fugit; ex latibulis suis velut insidiis hostem expectavit. Etenim cūm irruptione in domum factā, & non reperto ARCADIO, ad tribunal de amicis ejus quispiam rapetur, continuò adfuit; circumventum inexspectatō tyrannum graviterque increpitum jussit omnes pœnas in se experiri: aciem tormentorum instrueret tyrannus, ingenio etiam certaret, in auxilium alios etiam tyrannos evocaret, omnes in subsidiis carnifices constitueret: sese unicum contra omnia tormenta etiam nudum staturum, solā patientiā pugnaturum, ostensurumque eā dimicatione, quantum inermis Christianus omnibus minis, & tormentis armato tyranno præstaret. Desperavit jam tum judex de victoriā, & sententiam tulit, quā manibus ac pedibus mutilari ARCADIVS jubebatur. Hic fixis cælo oculis inter diuinās laudes, supplicii locum magnanimus petiit,

membra ad lanienam ipse nudavit , ipse singula truncanda exhibuit ; itaque sanguinis sui purpurâ splendidus , sine pedibus ad martyrum tamen partes transivit , sine manibus palmam tamen cepit .
S.Zeno Ep.Veron.

Ejus est in mundo diu velle manere , quem mundus oblettat ; quem seculum blandiens atque decipiens illecebris terrene voluptatis invitat . Porro cum mundus oderit Christianum , quid amas eum , qui te odit ? & non magis sequeris Christum , qui te redemit & diligit ? S.Cypr.de mortalit.

S.GODEFRIDUS COMES. 13.Ianuarii.

Duxit GODEFRIDVS Cappenbergensis Comes genus suum è Regio sanguine. Prædantium suorum militum licentiam , si quisquam alias , frenavit , gnarus militum prædam Ducis esse furtum . Arcem suam in cœnobium vertit , & D.Norberti familiæ transscripsit , cum omnibus fortunis , quibus pæclarum auctarium unâ cum fratre Ottone ipse accessit . Viderunt hoc multò antè in somnis illi , qui de Cappenbergensi arce vel columnam flammantem , vel civitatem nive nitidiorem in cælum viderunt assurgere . Et verò multa , quod morari tam sanctis consiliis injiceret , molitus est cognatus sanguis , nunquam non Deo hæreditatem invidens ; sed ille , uti alia humana omnia , ita hæc etiam insuper habuit , conjugèque inter Sanctimoniales relatâ , Norberti institutum avidissimè arripuit . In hoc acerrimus sui hostis , & gloriissimus victor , vix quidquam cibi sumere est visus , tantum lacrimis ineibriari . Cæli cupidissimus missionem corporis accepit anno M.C.XXXVI. cum moriturus illa audisset : *Exite obviam ei , & venientem*